

1209 cor ut credam ita , ut diximus , evenisse : & quod postquam novæ copiæ Venetiis in insulam missæ sunt , quibus apparebat , se ut hostem Reipublicæ peti , obstinato animo pugna abstinuerit : & quum multa adhuc loca in Creta suo nomine tenerentur , facile tota provincia cessit . Quod si hostili in Venetos fuissest animo , non deerat quibus vel suppliciter precantibus , eam insulæ partem tradere potuisset : sic hostem ex hoste quasi versura facta Venetis comparare . Ii qui induci poterant , Genuenses erant , Venetæ gloriæ æmuli : sed cedere maluit , magis publico ocio , quam hosti Tepulo consulturus . Quidam scriptores in hæc tempora rejiciunt memorabilem illam Joannis Trivisani in Genuenses victoriam , cuius proximo libro mentionem fecimus .

1210 Nec diu res Cretensium in ocio fuere ; sed novus motus , atque eo , de quo nuper diximus , longe atrocior omnia turbavit : verum res a parvo admodum principio orta tantum excitavit incendium , ut pene tota insula eo conflagravit . Constans fama est , Petri cujusdam Philaneni consilio , Boreparitanæ arcis Præfecti , aliquot nobilium insulanorum equos furtim abactos . Delata res ad Paulum Quirinum , qui tum Dux erat : per edictum mandavit , ut ablata insulanis restituerentur . Quod ipsum quia non tam cito , ut illi voluissent , est præstitum , Græci quasi aliqua majore injuria moti , Petri Scordili , cuius abacti equi esse dicebantur , ductu , ingentem ex Reparitano agro prædam abduxerent . Præsenti itaque tumultu freti Cretenses novarum rerum cupidi , continuo ad defectionem spectare cœperunt : ac brevi , quicquid a Milopotamo ad occasum insulæ est , a Veneto nomine defecit . Dux ad subitos Græcorum motus cohibendos Petrum Thonistum & Joannem Grittum ultra Milopotami scalas cum valido mittit exercitu . Hos per Psiuronensem saltum inexplorato ducentes , Constantinus Sevastus & Theodorus Melissinus cum non parva Græcorum manu insidiis excipiunt , exceptos fundunt , fugantes . Magna Venetotum cædes edita ab iis , qui locorum periti in territos , ac jam subito metu temere palatos , graf-

*Novi motus
Cretenses.*

saban-